



8748

DISSESSATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

BENEFICIO COMPETENTIAE
EX PROPRIO AEQVE AC TERTII
IVRE

7748
1764,3

QVAM

ANNVENTE DIVINA GRATIA
EX DECRETO ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE

PRAE S I D E

VIRO ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO

IO. AVGVSTO HELLFELD, D.

ICTO AC PROFESSORE PVBL. ORDIN.

SEREN. DVCIS SAXO GOTHANI A CONSILIIS AVLICIS CVRIAE
PROVINCIALIS ASSESSORE, SCABIN. COLLEGII SENIORE
ET FACVLTATIS IVRIDICAE H. T. DECANO
PRAECEPTORE PIE COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

OBТИNENDO

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

AD DIEM XXVII. OCTOBR. CIOIOCCCLXIV.

IN AVDITORIO IVRE CONSULTORVM

SVBMITIT

A V C T O R

IACOBVS HENRIC. FRANC DE LICHTENSTEIN

MOENO - FRANCOE.

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.



DIESER TATIO IN VAGABUNDIS IARIDICIS

DE

GENEALOGO COMPTENTIAE
EX HOC RIO ANGAE ACTERTII
LATE

ANNUALIA DIVINA GRATIA
IN HOC TOTO MUNERE LEGALITATIS IARIDICAS
PRAEVADEA
HOC LIBERTE ET EXCELENTIA
10. AECSTO HERITIB. D.

10. GENIO DOCTORIB.
10. OLLTIMBO
PRAEIVIA TRADITIONUM DISCUSSIONI
DE HOC XYL DECTORI CLODGEZIA
IN AUDITORIO AVICODONSATORYI
SCHOLASTICO
AVICODA HENRICI TALIC DE LICHENSTEIN
10. GENIO DOCTORIB. SCHOLASTICO



§. I.

Defin. benef. compet. et eius effectus.

Hdebitorem suis creditoribus plene satisfacere teneri, eumque ad saccum et peram posse excuti, ex ipsa obligationis perfectae notione colligere licet. Secundum hanc vero regulam iudicari nequeunt, qui beneficio gaudent competentiae. Est enim **COMPETENTIAE BENEFICIVM**, quod etiam **DEDVCTIONIS PRIVILEGIUM** vocant, *ius singulare, certis competens personis, vi cuius non in solidum, sed in id, quantum saluis alimentis facere possunt, excuti queunt.* Debitores igitur, qui hocce gaudent beneficio, ad saccum et peram non excuti, sed iis salua esse debent alimenta.

§. II.

Ben. competentiae tribuit debitori alimenta ciuilia necessaria.

Qui beneficio competentiae gaudent, recte exigunt, ut sibi salua sint alimenta (§. I.). Iam vero alimenta sunt

A

vel

vel naturalia vel ciuilia. Illa vnicē necessaria corporis sustentatione sunt circumscripta. Haec, omnia, quae ad sustentationem vitae, dignitati et conditioni conuenientem, faciunt, comple&tuntur. Si alimenta dignitati et conditioni alimentarii conuenientia pro necessitate solum praestantur, illa necessaria dici solent. Necessaria, non vero ciuilia plenaria, debitor beneficio gaudens competentiae exigere potest. Leges hoc satis confirmant, dum de beneficio competentiae statuentes iubent, ut personae debitoris ratio habeatur, eique *sufficiens* quid relinquatur, *ne egeat* (*). Cum igitur debitor aliquid sufficiens habere debeat, ne egeat, egere vero idem denotet, ac carere iis, quae pro sua conditione sunt necessaria; satis patet, beneficium competentiae tantum tribuere, quantum sufficit, ne egeat, sed ea habeat debitor, quae pro sua conditione et dignitate sunt necessaria ad vitae sustentationem, ita, ut nec laute quidem, attamen nec misere viuat (**).

(*) L. 173. *de reg. iur.* L. 30. D. *de re iudicata.*

(**) MANZIUS patroc. obaer. decad. III. quaest. 4. WERNHER P. VII. obs. 85. cap. IV. thes. 3. §. 1. seqq. MEVIVS disc. leuam. inop. debit. cap. IV. n. 17.

§. III.

In determinando quanto aliment. iudicis arbitr. locum habet.

Quantum alimentorum necessariorum pro diuersa conditione et dignitate debitoris variat, sicque vniuersali quadam

dam regula definiri nequit, sed iure communi omnia fere ad iudicis redeunt arbitrium (*), qui ponderatis circumstan- tiis, et cognitis creditorum monitis, quantitatem alimen- torum causa praestandam determinat. Non defunt tamen leges prouinciales, qui iudicis arbitrium certo modo restrin- gunt, prout in Saxonia Electorali et Ducatu Altenburgi- co (**), de quantitate competentiae cautum: *Dass solches auf ein leidliches, nach Beschaffenheit des Standes, jedoch höher nicht, als wöchentlich auf 1. bis 2. Thaler gesetzt werden soll.*

(*) CARPOV P. I. C. 32. def. 16. WERNHER I. C. MEVIVS dis-
tenuam. inop. deb. cap. IV. n. 25. seqq.

(**) ORD. PROC. EL. SAX. tit. 52. §. 3. ORD. PROC. ALTENB. P. I.
cap. 39. §. 1.

§. IV.

Qui tamen vxoris, liberorum et famulitii rationem babet.

In determinanda vero alimentorum quantitate non so- lum personae debitoris, sed quoque vxoris et liberorum in patria potestate constitutorum ratio est habenda. Vxoris enim et liberorum alimentatio ad ea officiorum genera re- fertur, quibus pater familias honeste et absque ignominia se subtrahere nequit, sicut ad eam pertinet necessitatem, cui beneficium competentiae voluit prospectum. Inde icti non sine ratione defendunt, in computatione alimentorum, debitori assignandorum, vxoris et liberorum rationem esse habendam (*). Quod tamen ad vxorem liberosue, qui sibi

ipſis alimenta procurare queunt necessaria, et non amplius in patria potestate ſunt constituti, extendi nequit. Porro in determinanda quantitate competentiae negligi haud debet famulitium, quod dignitas ſeu conditio debitoris neceſſarium reddit (**).

(*) CARPZOV P. I. C. 32. def. 17. WERNHER P. VII. obs. 85. c. IV. th. 3. §. 5. WESENBECK P. I. confil. 50. n. 22. STRUBEN *rechel.* Bedencken P. I arg. 6. DE CRAMER *obſeruat.* T. III. obs. 897. MEVIUS *dīc.* huam. *inop.* debit cap. IV. n. 19.

(**) L. 4. §. 1. D. *de ventre in poffeff. mitt.* CARPZOV *Aßl.* deb. c. 4. n. 334. MARTINI *ad O. P. S.* tit. 39. §. 4. n. 21.

§. V.

Quid praeflare debeat, qui vti cupit hoc beneficio.

Beneficium competentiae eo ſolummodo tendit, ne egeat debitor (§. 2.). Illi igitur hoc beneficio ſolum vti poſſunt, qui, integris ſolutis debitis, egerent. E contrario illi, qui vel aliunde iam habent, quantum ſufficit ad alimenta necessaria, vel in ea ſunt conditione, qua ſibi neceſſaria comparare queunt, ab viſu huius beneficii reēte excluduntur (*). Illud quoque ceſſat, ſimulac debitor per hereditatem ſibi delatam, vel alio modo ad fortunam peruerterit meliorem, quod tamen non praefumitur. Quo magis vero conſtet, num debitor competentiam exigere poſſit, ante omnia vniuersae ſuae ſubſtantiae exhibeat conſignationem eamque, vrgentibus creditoribus iureiurando

CON-

confirmet, et exinde demonstret, sua bona integris soluēdis debitris haud sufficere (**).

(*) MEVIVS l. c. n. 39.

(**) NOV. 135. c. I. MEVIVS l. c. nr. 13. *sqq.*

§. VI.

Per modum exceptionis petitur B. C.

Quia competentiae beneficium est beneficium, illud secundum naturam beneficiorum non obtruditur, nec ex officio, sed potentibus solum datur. Petitur autem per modum exceptionis (*), ideoque et ipsum hoc beneficium *exceptio competentiae* vocatur (**), cuius effectus est, ut condemnatio ac executio, ut et bonorum cesfio suspendatur, donec vel inter debitorem et creditores de competentia conuenerit, vel lis desuper mota iudicis auctoritate fuerit decisa (* *). Vtrum haec exceptio ad dilatorias, seu peremtorias sit referenda, vetus inter ICtos est controuersia (†). Mihi mixti generis esse videtur. Sunt enim EXCEPTIONES MIXTAE, quae actoris intentionem per accidens vel in totum destruunt, vel in tantum minuant. Haec vero definitio ad competentiae exceptionem omnino applicari potest. Deinde, cum nostra exceptio iuris sit, illa in omni iudicij parte, etiam in executionis termino, adhuc vrgeri potest (††).

(*) L. 7. pr. de exceptione L. 17. §. I. D. soluto matrim.

(**) de CRAMER obseru. iur. vniu. Tit. III. obs. 896. de WERNHER l. c. cap. IV. th. I. pr.

(**) de BERGER El. dif. for. Tit. 39. nota 7. addit MEVIVS l. c. n.
9. seqq.

(+) de qua vide de WERNHER l. c. cap. IV. th. 1. §. 3. seqq.

(††) CARPZOV P. I. C. 32. def. 15. de CRAMER l. c. de WERNHER l. c.

§. VII.

An illius renuntiatio valeat.

Exinde, quod beneficium competentiae non detur in
vito (§.6.); sequitur, ut illi renunciare liceat, modo de solo
renuntiantis iure agatur. Si renuntiatio ius tertii laedat,
aut ex parte creditoris turpitudinem inuoluat, e. gr. si illi,
qui ad alimenta tenetur, sit facta, illam omnino inualidam
putarem (*), partim, quia non debet alteri per alterum ius-
qua conditio inferri (**), partim, quia turpis causa nemini
iure debet prodeesse (**).

(*) MEVIVS l. c. cap. IX. nr. 45. seqq. CARPZOV P. I. Const. 32. def. 9.

(**) L. 74. de Reg. iur.

(***) L. 4. §. 2. L. 6. 8. D. de condit. ob turpem vel iniust. causam.

§. VIII.

Personam non egreditur, nec datur indigno.

Porro, cum iura singularia certis personis concessa
nec in heredes transeant, nec indignis prosint, nec ex-
tentiam admittant interpretationem; satis patet, benefi-
cium competentiae, tanquam ius singulare personale
(§.1.), nec mortuo debitore in heredes transire (*), nec ad
perlonas, quas leges non loquuntur, extendi (**), nec iis

pro-

prodeesse, qui prodigalitate et fraude sua se eo indignos reddiderunt, cum dolus suis nemini patrocinari debeat (* *). Alia tamen ratio esset, si ius tertii laederetur.

(*) L. 24. §. 1. et L. 25. D. *de re iudicata*.

(**) L. 43. pr. D. *de vulgari et pupill. substit.* c. 8. X. *de priuileg. de BERGER Suppl. E. D F p. 615.*

(***) arg. L. 22 §. 1. *de reiudicat. MULLER ad Struu. Ex. 44. th. 21. lit. D. SVRDVS de alim. lib. I. quaest. 78. n. 28.*

§. IX.

De B. C. post cessionem bonorum.

Quod vero debitorem attinet, qui competentiae fruicitur beneficio, ille aut bonis iam cessit, aut non. Debitor ad cessionis beneficium admisus, sit quicunque velit, gaudet competentiae beneficio, quo tamen, nec intuitu bonorum cessorum, nec intuitu creditorum post cessionem contractorum, sed in bonis post cessionem quaefitis, et contra creditores, qui tempore factae cessionis iam tales extiterunt, vtitur (*). Cum enim humanitati quam maxime repugnaret, et creditoribus aequre ac reipublicae detrimento foret, si debitor fortunis suis per cessionem spoliatus in solidum condemnaretur, eique alimenta ex bonis post cessionem quaefitis denegarentur; legislatores sapienter constituerunt, vt cum eo, qui suis creditoribus bonis cessit, si postea aliquid adquisuerit, quod idoneum habeat emolumendum, in id tantum ageretur, in quan-

quantum facere posfit (**). Quod tamen contra eos solum valet creditores, quibus cessione est facta. Si igitur post cessionem debitor noua contraxerit debita, creditoresue ex bonis nouiter quaeasitis solutionem vrgeant, illis competentiae exceptio ob antecedentem cessionem opponi nequit, sed debitor, nisi ex alio capite competentiam exigere queant, ad faccum et peram excutitur (**). Quamuis ex iterata cessione quoad bona adquirenda de novo habeat hoc beneficium.

(*) L. 6. et 7. D. de cessione bonor.

(**) §. fin. I. de actionibus.

(***) WERNHER P. VII, obs. 85, cap. II, thes. 6. §. 3.

§. X.

*Ante cessionem competit hoc benef. 1.) ex obligatione
alendi debit.*

Non solum vero post bonorum cessionem cuiilibet debitori (§. 9.), sed quoque certis quibusdam personis ante cessionem, hoc beneficium ex singulari ratione tribuitur. Harum PRIMA est, *obligatio creditoris debitorem in subsidium alendi*. Quamuis enim in regula quilibet de suo se ipsum alere teneatur (*), in casu tamen, quo quis sibi alimenta parare nequit, leges certis quibusdam personis obligationem alendi in subsidium imponunt. Inde, si inter debitorem et creditorem talis intercedit nexus, qui creditori obligationem alendi subsidiariam imponit, illi quoque

que exceptio competentiae toties recte opponitur; quoties debitor conuentus saluis alimentis solidum praestare nequit. Hinc parentes et liberi (**), fratres et sorores (*.*), quia sibi inuicem ad alimenta in subsidium subministranda tenentur, ultra id, quod facere possunt, se conuenire nequeunt (†). Ex eadem ratione hoc beneficium locum habet, inter patrum et libertum, quippe qui sibi inuicem parentum et liberorum loco sunt (††). Illud quoque ratione debitorum ex societate oriundorum non denegatur sociis, quippe qui fratum iure in relatione ad societatem aestumantur (†††). Idem obtinet inter coniuges, tanquam socios coniunctissimos (*).

(*) L. 5. §. 7. et 19. D. de agnoscendis et alendis liberis, . L. 2. 3. 4. C. de alendis liberis.

(**) L. 5. pr. §. 1. seqq. eodem.

(*.*.) L. 13. §. 2. D. de administrat. et peric. tutor. L. 1. §. 2. D. de tutela et ratione.

(†) L. 16. f. D. de re iudicata. Evidem quoad fratres et sorores dubium subesse videatur. Ast nonsolum ab obligatione ad alendum ad obligationem, beneficium competentiae non denegandi, valet consequentia, sed quoque ex L. 63. D. pro socio argumentum satis certum defunitur.

(††) L. 5. §. 18. seqq. L. 6. D. de agnoscendis et al. liber.

(†††) L. 16. de re iudic. L. 63. D. pro socio.

(*) L. 20. D. de re iudicata.

§. XI.

2.) *Ex gratitudinis lege.*

ALTERA ratio, ob quam competentiae beneficio locus datur, in *gratitudinis lege* nititur. Cum enim honestati

nil magis repugnet, quam pro beneficiis acceptis ingratiudinem referre, et summa ingratitudo sit alimentorum de-negatio (*); leges iure meritoque competentiae exceptio-nem tribuant donanti (*) et dotis promissori (**), qui proin-de in plus, quam saluis alimentis facere possunt, conde-mnari nequeunt.

(*) L. 19. de re iudicata. L. 28. de Reg. Iur.

(**) L. 20. 21. 22. 23. de re iudic.

§. XII.

3.) ob utilitatis publicae rationem.

Tertio, ob utilitatis publicae rationem competentiae be-neficium concessum est 1.) filios fam. intuitu obligationis du-rante patria potestate contractae, si ex bonis paternis parum aut nihil plane accepit (*). Cum enim reipublicae inter-fit, ne eius membra, quae propriam instituant oeconomiam, statim ab initio necessariis priuarentur alimentis; le-ges ob utilitatis publicae rationem volunt, ne soluta P. P. fi-lios fam. in solidum, sed quantum facere posset, conueni-eretur. Porro reipublicae dignitati haud coueniret, si mil-tibus, qui sub armata militia stipendia meruerunt, et pro republica vitam membra sua periculo exposuerunt, ne-cessaria eriperentur alimenta. Hinc 2.) milites comdemna-ti, eatenus solum, quatenus facere possunt, soluere cogun-tur (*) Sicuti vero militum appellatione vasalli quoque continentur (**), ita ad eorum exemplum 3.) vasalli, praeser-tim,

tim, qui feuda equestria et militaria tenent, beneficio gaudent competentiae, et hoc iure quaesito adhuc hodie fruuntur vasalli, licet rarius, vel plane non, militaria praestent seruitia, cum sufficit, eos esse milites et ad seruitia obligatos (†).

(*) L. 2. 4. §. D. quod cum eo, qui in aliena potestate.

(**) L. 6. et 18. D. de re iudicata.

(***) quod probant textus I. F. 19. 21. 22. 23. II. F. 21. 22. 26.

(†) LAVTERBACH de beneficio compet. §. 23. STRVEEN rechtl. Bedencken P. I. arg. §. de CRAMER obs. 896. PRAESIDIS El. iur. feud. §. 437. Sicuti et leges prouinciales vasallis hoc priuilegium interdum expresse asaignant e. gr. Calenbergische Canzley - Ordnung tit. 36. §. 16.

§. XIII.

*Quod militiae concessum armatae extendi nequit ad
militiam eccles. et togatam.*

Quod leges armatae militiae tribuunt beneficium competentiae, ICTi ad militiam spiritualem et togatam extenderunt, ideoque clericis, consiliariis principum, nobilibus et doctoribus competentiam asignare solent (*). Cum vero iura talem solum militem, qui sub armata militia stipendia meruit, hoc beneficio dignum iudicent (**), et in horum numero nec clericu, nec nobiles, nec doctores et consiliarii principum sint; non video, quomodo contra naturam iuris singularis extensiu interpretatio locum habere, et beneficium, militibus stricte talibus concessum, ad

milites spirituales et togatos applicari queat (§. 8.). Hiricus fori communis nobiles, doctores et principum consiliarios a competentiae beneficio excludit (**). In Saxonia vero contraria recepta est sententia (†). Ex eadem ratione nec clericis ex proprio (††), bene vero tertii iure, ius competit, ut plus, quam, saluis alimentis, facere possunt, condemnari nequeant. Sicuti et personis in hac paragrapo nominatis, facta bonorum cessione, in bonis postea quae- sitis benefic. competentiae denegari nequit.

(*) CARPOV P. I. C. 32, def. 18. COLER. de processu execut. P. II. C. 3. n. 19. WERNHER P. VII. obf. 85. cap. III.

(**) L. 6. pr. et L. 18. D. de re indicata.

(***) COVARVVIAS var. resol. lib. II. c. 2. n. 4. LATTERBACH de benefic. compet. §. 34. BOEHMER consult. et decis. T. II. P. I. arg. 54f. n. 26. PVFFENDORFF proc. civil. p. 80f. STRUBEN recetl. Bedemker P. I. arg. 3. STRECKER de benefic. compet. nobilibus non competente. A Tribun. Cellensi supremo doctoribus hoc beneficium denegari, confirmet de PVFFENDORFF T. III. obf. 81.

(†) CARPOV I. c. de BERGER El. D. F. Suppl. P. II. p. 61f. LEYSER Spec. 664 m. 34. MARTINI ad Ord. Proc. tit. 39. §. 4. n. 37. seqq. Quoad Saxoniam ducalem praxin hic non esse constantem, exempla probant.

(††) BOEHMER consult. et decis. T. III. P. I. resp. 50. n. 20.

§. XIV.

Quando ex tertii iure benefic. competentiae locum habeat.

Non solum vero ex proprio, sed interdum quoque ex tertii iure, debitor beneficio gaudet competentiae. Fieri enim

enim potest, ut debitor sub onere vel modo bona quaedam vel redditus quosdam adquisuerit. Hicce modus in acquisitione dictus exacte debet seruari, et terius, cuius interest, eum adimpleri, in casu non secuti implementi non conditionem solum, sed quoque vindicationem (*), et ratione alimentorum praestandorum actionem hypothecariam (**), contra tertium quemlibet habet possessorem. Si igitur res sub eo modo concessa et adquisita est, ut exinde acquirens sibi, suaeque familiae, vel etiam aliis de alimentis pro sua conditione et dignitate necessariis prospiceret; nemo dubitabit, quin modus sit seruandus. Inde debitor obaeratus, qui sub modo iam dicto bona possidet, contra credidores recte vrget, ne in solidum condemnetur, sed sibi tantum relinquatur, quantum sufficit ad modum adimplendum, id est necessaria vitae subsidia, sibi suisque procuranda. Evidem tertius, cuius interest, modum seruari, proprio contra creditores solidum urgentes interuenire, sive que competentiam debitori seruare deberet, ast ipse quoque debitor, partim ob interesse, quod cum tertio habet commune, ex praesumto (**), partim ex voluntate tertii tacita, quae ex obligatione debitori imposita recte colliguntur, ex tacito mandato, et tanquam procurator in rem suam, de competentia excipere potest.

(*) L. 1. C. de donation. quae sub modo.

(**) arg. L. 2. §. 1. D. de alimentis legis.

(***) L. 2. C. de consortibus eiusd. litis.

§. XV.

Ex tertii iure competit 1.) illustribus.

Ex iure igitur tertii competentiae beneficium denerari nequit personis illustribus. Cum enim generis praerogatiuae non semper annexae sint opes ad sustentationem necessariae; inter illustres quoque casus existere queunt, quibus competentiae beneficium utilitatem affert. Equidem icti de applicatione huius beneficii ad personas illustres diuersas fouent sententias. Sunt enim, qui beneficium certis personis tantum tributum, ultra legum verba non extendendum, ideoque ad illustres haud applicandum statuunt (*). Sunt, qui illustribus indistincte, et quidem ex eorum proprio iure, illud tribunt (**). Sunt denique quibus haec res iudicis arbitrii et officii esse videtur (**). Ex nostra sententia illustribus beneficium competentiae non quidem proprio, auct tertii iure competit. Illustrum enim denominatione intelliguntur imperantes, et qui ab iis descendunt. Quod ad imperantes, quales et status imperii sunt, attinet; illi vel ex populi vel ex maiorum destinatione certis bonis certisque redditibus eo sub modo fruuntur, ut exinde onera pro sua et reipublicae dignitate et utilitate suscipienda ferre queant. Et cum pleraque territoria vel ob feudi, vel ob fideicommissi nexus sint inalienabilia, creditores ple-

rum-

rumque ex redditibus territorii solutionem expectare tenentur. Quo casu, ex iure ipsius reipublicae recte vrgent domini territoriorum, vt creditores sibi relinquant redditus ad suam suaque familiae et reipublicae dignitatem, huiusue utilitatem conseruandam, necessarios, seu, vt sibi competentia asignetur (†). Deinde illustres, qui non sunt imperantes, a familia regnante, certa appanagia, aliquosue redditus eum in finem accipiunt, vt exinde vitam generi suo conuenientem agant, nec suaed dedecori sint familiae. Haec proinde iure gaudet, exigendi, vt huiusmodi redditus in finem, ad quem concessi sunt, conuerterentur, et contra creditores, in hosce redditus executionem virgentes, de competentia non deneganda excipiunt. Quae tamen exceptio et ipsi debitori ex familiae iure competit (§. 14.).

(*) COVARR. lib. II. resol. cap. I. n. 4. RACHELIUS de beneficio competentiae §. 33.

(**) de BERGER El. discept. for. suppl. P. II. consil. 93. p. 1583. MEYIUS disc. leuam inop. deb. cap. 5. n. 184. de WERNHER P. VII. obs. 85. cap. III. thes. 7. §. 4. seqq. STRYCK V. mod. Lib. XLI. tit. 3. §. 21.

(***) de LUDOLFF obseruar. for. obs. 183.

(†) exempla huius competentiae extant apud MOSER Staats-Recht P. XXIII. p. 479. P. XXIV. p. 11, 123. de BERGER El. D. for. suppl. P. II. p. 1583.

§. XVI.

2.) ciuitatibus et communitatibus.

Deinde ex tertii iure competentiae beneficio vtuntur

ciui-

civitates et communitates pagorum. Cum enim variis euenire poslit casibus, vt debita ciuitatum et communitatum earum bona superent, ciues vero ad eam perdueti sint necessitatem, vt iis nouae imponi nequeant collectae; huiusmodi ciuitates et communitates obaeratae recte exigunt, vt condemnatio et executio in id tantum fiat, quantum saluis iis, quae ad earum conseruationem sunt necessaria, facere possunt (*). Reipublicae enim quam maxime interest, ciuitates communitatesque, per quas ipsa sustinetur res publica, conseruari. Hae autem in detrimentum reipublicae destruerentur, si ad earum conseruationem necessaria subtraherentur subsidia. Recte igitur interuenit imperans, seu res publica, seque opponit creditoribus, qui necessaria remedia ciuitatibus et communitatibus depauperatis subtrahere volunt. Et recte rescripsit aula Ele^ct. Saxon, apud de BERGER (**), auch nicht zu geben können, daß unsfern bogen Landesherrl. Interesse zu Schaden und Nachteil eine ganze Commun und mit derselben die Kirche und Schule zu Grunde gebe. Non solum vero per principis seu reipublicae interventionem ciuitates communitatesque beneficium obtinere queunt competentiae, sed quoque ipsa ciuitas ex iure reipublicae excipiendo suum ius potest tueri, vt salua habeat, quae ad publicas necessitates requiruntur, v. gr. ad reficienda aedificia publica, persoluenda salario etc. quamvis

in

in tali casu numerus personarum publicarum ad paucitatem redigi, et salario refecari soleant (**).

(*) MEVIVS disc. leuam. inop. debitor. cap. IV. n. 37. seqq. WERNHER
I. c. cap. III. thes. 4. §. 4. s. CARPOZOV Asyl. obaer. debit. §. 48.
MANZIVS patroc. delir. P. III. qu. 137. de BERGER El. disc. for.
suppl. P. I. tit. 39. n. 7. P. II. p. 1882. seqq.

(**) El. disc. for. suppl. P. I. p. 366.

(***) STRYCK V. M. lib. XLII. tit. 3. §. 21. RIVINVS chunc. p. 1492.
STRYCK de ciuitate obaerara.

§. XXVII.

3.) vasalli ex iure domini dir.

Porro quoque *vasalli ex iure domini directi* beneficio gaudent competentiae. Sunt enim feuda loco salarii sub ea lege concessa, ut *vasallus* ad seruitia equestria aequa, ac aulica et iudicaria se habilem, instructum, ac paratum exhibeat, dominoque fidelitatem praefestet, eiusque honorem quoquis modo promoueat (*). Quod cum fieri non posset, si *vasallus* necessariis sibi subtractis alimentis in paupertate et contemptu vivere compelleretur; domino, et ex eius persona *vasallo*, siue equestris ordinis sit, siue non, ius competit, a creditoribus solutionem urgentibus exigen-
di, ut alimenta *vasallo* salua maneant necessaria (**). Li-
beri *vasallorum* in eorum potestate existentes, viuo qui-
dem patre, non vero illo mortuo, nisi in feudum succe-
serint, beneficio gaudent competentiae (**).

(*) PRAESIDIS elem. iuri. feudal. §. 6. 10. 298.

C

(**) WE-

(**) WESENBECKUS P. I. consil. 50. n. 9. STRUBEN *rechtl. Bedencken* arg. V. §. 3. LAVTERBACH *de beneficio compet.* §. 34.

(*) de PUFFENDORFF T. I. obs 63. STRUBEN I. c. arg. 6.

§. XVIII.

4.) ex iure liberorum patri et matri,

Saepe quoque ex iure liberorum patri conceditur beneficium competet. Notum enim est, patri in bonis liberorum aduentitiis competere vsumfructum (*). In hunc decerni posse executionem, itidem extra dubium est (**). Huic vsumfructui annexum est onus alendi et educandi liberos. Si igitur creditores executionem in huncce vrgent vsumfructum; necesse est, vt illi onus agnoscant annexum (**). Et cum liberi a patre separari non debeant viuo; hic recte exigit, vt sufficiens, suaे liberorumque alimentationi assignetur quantum (†). Idem obtinet in vsumfructu, quem iura patria in bonis liberorum, mortuo patre, asfignant matri (††).

(*) L. 6 pr. C. *de bonis quae liber.*

(**) BAVMANN *de execuzione in vsumfructum debitori iure alieno competentem rite perficienda.*

(*) L. 149. *de Reg. Iur.*

(†) Quomodo hic procedatur, docet allegatus BAVMANN §. 24.

(††) ill. BEIMBURG *de vsumfructu materno.*

§. XIX.

5.) Maritus gaudet B. C. ex iure vxoris.

Maritus quoque ex iure vxoris vtitur beneficio competentiae, quoties ob sua debita in fructus bonorum dota-

rium



lium, vel paraphernalium executio decernitur.¹¹ Leges enim marito omnes rei dotalis fructus, proprie tales, asfignant, ast sub obligatiōne matrimonii onera sustinendi. Rerum paraphernalium vsumfructum non quidem iure Rom. ast secundum iura prouinciarum quarundam Germanicarum, habet maritus, sub ea tamen lege, ut vxori liberis que alimenta p̄aeſter. Si ad inopiam redactus, haecce procurare nequit alimenta maritus, vxor sua repetere illata, eorumque reditus ad sustentationem tam sui ipsius, quam mari- ti, filiorumque, si quos habet, conuertere potest (*). Inde, si creditores marito aequē ac vxori eiusque liberis digna ex redditibus bonorum paraphernalium et dotalium alimenta p̄aeſtare recusent, illis plane nullum in fructibus rerum dotalium ac paraphernalium ius competeteret, sed vxor iure repetendi illata gauderet. Hinc creditores marito, aut beneficium competentiae concedere, aut vxori illatorum repetitionem, et per consequens exclusionem creditorum a perceptione vſusfructus, permettere tenentur.

(*) L. 29. C. de iure dorium.

§. I. XX.

6.) intuitu alimentorum legatorum vel concessorum

a tertio.

Porro si debitori vel misericordiae causa, vel eo fine, ne in contumeliam familiae egeat, alimenta legata, vel con-

C 2

cessā

cessa sint, ille recte vrget, vt creditores sibi salua relinquant alimenta pro sua conditione et dignitate necessaria. Dealimenti misericordiae causa legatis inquit **VLPIANVS** (*). Si quid misericordiae causa debitori fuerit relictum, puta menstruum vel annum, alimentorum nomine, non oportet propter hoc bona eiusdem venire, hoc est, non debet in ea fieri executio addita ratione, quia non fraudandus est alimentis q. otidianis. Idem locum habet, si ususfructus sit concessus vel legatus, ex quo tantum percipitur, quantum alimentorum nomine satis est. Porro, si debitori reditus sunt concessi, eo fine, ne egeat, et in familiae contemtum viuat, familiae interest, dictum seruari modum. Hinc recte se opponit, si creditores debitorem omnibus spoliare volunt redditibus, et recte exigit familia aequa, ac ex eius iure debitor, vt sibi tantum, quantum alimentorum nomine satis est, relinquant creditores.

(*). L. 6. D. de cessione honor.

§. XXI.

7.) *qui salario fruuntur pro seruitiis, recte ex domini persona utuntur hoc beneficio.*

Eadem quoque locum inueniant principia intuitu eorum, qui ob publici officii rationem certo fruuntur salario. Cum enim reipublicae intersit, vt quilibet officio sibi imposito exacte satisfaciat, hoc autem fieri nequeat, ab eo, qui necel-

necessariis caret alimentis; respublica vel imperans recte interuenit, et vrget, ne creditores integrum auferant salarium, sed debitori tantum maneat solum, quantum ad dignam vitae sustentationem est necessarium (*). Ipsis quoque creditoribus interest, ut habeat salariatus, vnde viuat. Hic enim si alimentis destituitur, officio carere cogeretur, et sic quoque desiceret spes creditorum, ex redditibus muneri publico adscriptis quidquam adquirendi. Idem etiam certo modo in famulis priuatorum obtinet.

(*) Iure Rom in subsidium executio in salario decerni potest. L. 4. C. de executione rei iudicatae. Quod tamen intelligendum, sub limitatione, ne ob defectum alimentorum salariatus officio praecesse, fiat naturaliter vel moraliter inhabilis STRUBEN rechtl. Bedenken P. I. obf. 7. LEYSER sp. 476. m. 4. f. MEYERS disc. huius inop. c. 4. n. 32.

§. XXI.

Quod 8.) applicatur ad salario et redditus clericorum.

Idem, quod cuilibet salariato intuitu salarii ex tertii iure competere asseruimus, beneficium, ad personas clericorum recte applicatur. Quamuis enim non desint, qui statuant, clericos generatim in plus, quam facere valent, condemnari haud posse, et praesertim eorum salario obiectum executionis haud constituere (*). Quam ob rem ad famosum capitulum Odoardus (**) confugint, in eoque in favorem clericorum singulare quoddam ius constitutum esse, sibi persuadent. Ast, ut mihi videtur, satis erronee. Non

C 3

enim

enim aliud loquuntur textus verba, quam quod clericus, ne quidem ob confessa debita, excommunicari possit, et excommunicationis sententia, praestita cautione de soluendo, si debitor ad pinguorem peruererit fortunam, sit rescindenda. Quod autem clericis certum concessum sit priuilegium, vi cuius in plus, quam facere possunt, haud condemnari, aut eorum salario executionis obiectum constitutere haud deberent, nullo modo ex textu eruere licet(**). Cum vero salario clericis eum in finem soluantur, ut officium ecclesiasticum obire queant, illis ex reipublicae et ecclesiae iure hoc omnino tribuendum est, ut salua habeant alimenta, et in id solum excutiantur, quod alimentis deducitis necessariis residuum manet (†).

(*) H. HARTMANN P. II. tit. 18. obs. 2. n. 17. BERLICH P. II. concl. 28. n. 37. MANZIVS 1. c. dec. 3. qu. I. n. 79.

(**) c. 3. X. *de solutione.*

(***) LAVTERBACH *de benef. competr.* §. 33.

(†) BAVMANN *diff. circa* §. 26. BOEHMER I. E. P. Lib. III. tit. 23. §. 26.

§. XXIII.

Quae in determinando quanto competentiae sint respicienda.

Quod si vero patri, marito, alimentario vel salariato, ex redditibus, quos habet, determinanda est competentia, ante omnia constare debet, de annua reddituum quantitate. Hinc confici debet emolumentorum et reddituum significatio, et ab his deducendae sunt expensae necessariae.

mino

Deinde

Deinde ad conditionem debitoris respiciendum est. Si enim debitor vel artificio, vel alis operis laboreue proprio, vi-
ctum sibi quererere potest, recte minuitur quantitas ali-
mentorum adsignanda. Porro dignitas debitoris, numerus
liberorum, et aetas ad augendam vel minuendam alimento-
rum quantitatem multum confert, modo certum sit, quod
vxor et liberi propria non habeant bona, ex quibus alimen-
ta capere possunt. Multum quoque ad augendam compe-
tentiae quantitatem prodest, si creditoribus, de consequen-
da integra sorte simul cum usuris satis prospectum, et de-
bitor in praesenti solum solutioni sit impar. Quippe quod
fieri potest, si debitor nomina bonaque habeat, quae eo vi-
vo nec alienari, nec exigi possunt, ast post eius mortem
solutioni debitorum sufficiunt.

§. XXIV.

*Diuersi effectus beneficii compet. quod ex proprio
et quod ex tertii iure est.*

Quod ad effectum inter beneficium competentiae,
quod quis ex proprio iure habet, et illud, quod ex tertii iure
competit, hae sunt differentiae, quod 1.) debitor suo fa-
cto se hoc priuare nequeat, bene vero illo. Suo enim fa-
cto quilibet sibi, non tertio inquam inferre potest condicio-
nem (*). Omne igitur factum, quo ius tertii laeditur, in
huius detrimentum non habet valorem. Hinc non valet
bene.

beneficii competentiae renuntiatio, quae tertii iuri adiuer-
fatur, nisi hic consentiat. Nec factum debitoris, quod eum
hoc beneficio indignum reddit e. gr. prodigalitas, tertio pot-
est nocere, sed, hoc non obstante, beneficium competentiae
ex tertii iure manet saluum.^{2.)} In determinanda compe-
tentiae quantitate, quae proprio iure exigitur, vnicē de-
bitoris, et per consequentiam eius vxoris et liberorum, ne
egent, ratio habetur. In competentia vero ex tertii iure
praestanda, ad ea quoque respici debet, quae tertius a de-
bitore iure exigere potest. Inde, si cui ex salario, quo
propter officium fuitur publicum, competentia assignanda,
non alimenta solum, sed ea quoque, quae ad sumptus, quos
officii ratio necessarios reddit, ferendos requiruntur, debi-
tori fuit concedenda.

(*) L. 69. 74. 75. de Reg. Iur.

§. XXV.

*Dubium remouetur, quod contra benef. compet. ex tertii
iure moueri potest.*

Quamvis vero in casibus, quos adduxi, competentiae be-
neficium ex tertii iure competens omnino legum habeat pre-
fidium, pauci tamen erunt, qui eius, tanquam singularis spe-
ciei, fecerunt mentionem. Et inde forsitan dubitari posset,
an alimenta, quae debitori ex tertii iure adsignantur, bene-
ficii competentiae nomine insigniri queant? et hocce duium
exinx-

exinde veritatis speciem accipit, quod haec alimenta unice ex ratione iuris communis, ne ius tertii laederetur, debitori relinquuntur, ea vero, quae iure communi debentur, ius singulare non efficiant, cum tamen competentiae beneficium ad exemptiones a iure communi, seu ad iura singularia, referri soleat (S. 1.). At licet ius tertii, ex quo debitor exigit alimenta, in se sit commune, illud tamen, in relatione ad debitorem consideratum, sit singulare, dum debitorem eximit a iure communi, quippe quod quemlibet debitorem ad integrum debitum soluendum condemnari, et excuti iubet.

§. XXVI.

De modis assignandi alimenta debitori.

Alimenta vero competentia debitori duobus potissimum modis constitui solent. Primo, quando creditores bona debitoris capiunt, sed cum onere, annuatim ex iis summanam aliquam debitori, donec vixerit, ad victum et amictum porrigendi. Secundo, si a bonis separatur aliquid et relinquitur debitori, ex cuius fructibus alimenta, donec vixerit, capiat. Priori casu, qui erat creditor, sit almentorum debitor, et horum causa securitatem cauendo praeferre, eamque in rem bona accepta pignori subiicere tenetur. Posteriori casu, debitor manet dominus et possessor rerum pro alimentis reliatarum, donec viuit, aut meliorem haud

D

con-

consequitur fortunam (*). Creditoribus vero cauere debet, de solutione in casu pinguoris fortunae praestanda, sicuti et in ipsis bonis, quae debitori alimentorum causa relinquentur, creditoribus pignus constitui debet (**).

(*) COLER de process. exec. cap. III. n. 124. segg. MEVIUS dis. legum inop. debit. cap. IV. n. 39. 40.

(**) WERNHER P. VII. ob. 85. cap. I. th. 3. §. 9.

§. XXVII.

An facta bonorum cessione beneficium competentiae postulari queat.

Deinde alia est ratio beneficii competentiae, quod ex ipsa bonorum cessione, alia eius, quod absque cessione debitori competit. Illud cuilibet debitori ad cessionem admisso prodest, ast solum in bonis post cessionem quaesitis (§. 9.). Hoc non cuilibet, sed certis solum personis, vi iuris singularis, in bonis iam ante cessionem acquisitis, competit. Non enim semper cum competentiae beneficio cessio bonorum coniuncta est. Potius competentiae beneficio debitor haud raro eum in finem vtitur, et evitetur cessione, et condemnatio fiat in id, quod facere potest (§. 6.). Plerumque tamen simul cum oblatione ad cessionem fit prouocatio ad beneficium competentiae. An vero post cessionem pure factam, et a creditoribus acceptatam, debitor adhuc vrgere possit, vt ex bonis pure cessis competentia praestetur,

tur, dubium omnino videri posset. Deductionis enim beneficium non actionem, sed exceptionem tribuit (§. 6.), et mediante exceptione repeti nequeunt bona a creditoribus possessa. Ast mihi distinguendum videtur, an bona cessā creditores iam vendiderint; an non. Ibi competentiae beneficium non amplius admittitur. Quia per distractionem omne ius debitoris in bonis ccessis extinctum est, sicque realis actio cessat (*). Condictio vero contra ipsos creditores non habet effectum, quia indebite praestitum dici nequit, quod naturali aequa ac ciuili iure creditoribus deberet. Non dum distractis bonis, debitor defensionem, et sic quoque competentiae exceptionem, in suos usus adhuc conuertere potest (**).

(*) L. 4. C. qui bonis cedere possunt.

(**) L. 3. et 5. D. de cessione bonorum.

§. XXVIII.

Quomodo competentia in concursu creditor. determinetur.

Rationes introducēti beneficii competentiae satis docent, leges illud concedere, vel ob nexum, qui inter debitorem et creditorem intercedit singularem (§. 10. 11.), vel ob utilitatis publicae rationem (§. 12.). Hic contra quoslibet creditores, ibi vero contra eos solum, qui ex nexu debitori tenentur singulari, beneficium competentiae vrgeri potest. Orto igitur vniuersali creditorum concursu, si debitori ad-

D 2

uersus

uersus omnes beneficium competit deductionis, id, quod debitori vi beneficii competentiae relinquendum, non vni, sed omnibus percipientibus pro rata detrahendum putant (*). Res iure communi non est determinata. Aet analogiae iuris conuenire videtur dispositio iuris Saxon. electoralis (**), vi cuius fors competentiae destinata non creditoribus percipientibus detrahenda, sed ante omnia a massa concursus separanda, et, cessante competentiae beneficio, creditoribus ordine sequentibus distrahenda est. Si vero ob singularem nexum cum creditore, debitori competentia asignatur, illi solum, qui vi huius nexus ad competentiam obligatur, quantitas a iudice determinata deducitur.

(*) HORN Resp. et sentent. P. XII. resp. 19. n. 1.

(**) ORD. PROC. SAX. EL. NOVISS. ad tit. 52. §. 8. verbis auch hier zu ein gewisses Capital ausgesetzt, solches aber keinesweges denen creditoribus, so zur Perception kommen, pro rata abgezogen, sondern ex massa concursus noch vor der distribution genommen, und bey dem Rückfall zu Befriedigung derer folgenden Glaubiger, ihrer Ordnung nach angewendet werden.

§. XXVIII.

Quando definit. benefic. competentiae.

Quia beneficium competentiae personam non egreditur (§. 8.), eumque in finem concessum est, ne egeat debitor (§. 2.); satis patet, adsignata alimenta destinare et cessare, nonsolum morte debitoris, sed quoque eo viuo, si ad

alem

talem peruenit conditionem, qua aliunde alimenta habet
vel sibi illa procurare potest (*).

(*) SCHROETER de beneficio compet. cap. IV.

§. XXIX.

Quatenus cedi queat beneficium competit.

Tandem adhuc quaestio, an alteri cedi queat beneficium competentiae, supereft tractanda. Et ante omnia distinguendum est, an cefcio concernat ipsum ius competentiae in alterius personam transferendum, an folummodo ius alimenta asignata percipiendi, quatenus eorum dies debitori cedit. Illud, quia personam debitoris non egreditur (§. 8.), cedi nequit. Quod vero attinet ad cefcionem iuris, loco debitoris alimenta percipiendi, rursus distinguendum est, an cefcio fiat ob caulam ex parte cefcionarii mere lucratiuam an non. Illa est inualida, quia debitor alteri ex causa lucratiuam cedens declarat, se non indigere alimentis, et qui his non amplius opus habet, amittit beneficium competentiae (§. 28.). Si vero cefcio fit ex causa onerosa, ita ut debitor loco competentium alimentorum aliud quid accipiat, ex quo sibi necessaria alimenta comparare queat, cefcionem valere omnino putarem. Dum creditoribus nihil intersit, an debitor alimenta sibi procuret ex redditibus a creditoribus sibi asignatis, an illa habeat, ex pecunia vel rebus pro quantitate cessa adquisitis (*).

(*) haec omnia vberius illustrat G. A. IOACHIM disp. de cefcione beneficii
competentiae et alimentorum exinde prouenientium.

T A N T V M .

GENE.

GENERALIS AC DOCTISSIMO
CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

Equidem materiam de beneficio competentiae iam alii suis scriptis doctissimis satis copiose exposuerunt, attamen et hic, sicut in plerisque iuris materiis, largum relictum esse spicilegium, et multa superesse supplenda, nemo, qui perlegerit huins generis scripta, negabit. **T**V M igitur in conscribenda dissertatione de beneficio competentiae consilium, cuius ab initio fui dissuasor, absoluto iam labore et perlecta **T**VA dissertatione, omnino probo, **T**EQUE labore haud frustraneum peregisse, confido. Hinc **T**I^BI de nouo hoc eruditionis specimine impense gratulor, simulque supremum numen precor, velit et imposterum **T**VI^S adesse conatibus, quo magis reipublicae et patriae **T**VI^S animi doctibus et doctrinae elegantioris ac legum copia, quam **T**I^BI comparasti, inservire queas, omniaque cedant ex voto.

Dabam Ienae d. XXVI. Octobr.

CIC 10CC LXIII.

GENE-

GENERALISSIMO ET CONSULTISSIMO

IVRIVM CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.
IAC. RAVE D.

Onponentis spartam a te beneuelle mihi oblatam eo minus
detractare volui; quo magis gratum mihi est, vt in noti-
tiam præclaræ eruditio[n]is TVAE ac humanitatis venire mihi liceat.
Accingo me Congratulantium numero, vtque Numen supremum
honores promeritos, quibus condecoraberis, faustos auspiciatos-
que esse iubeat, ex animo opto. TVAE benevolentiae ac Fauori
me et iam atque etiam commendo. Dab. Ienae d. xix. Octobr.
A. MDCLXIV.

GENERALISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO

IVRIVM DOCTORANDO

S. P. D.

AVG. FRID. CAR. LIB. BARON DE ZIEGESAR.

SOC. LATIN. IENENS. SODAL.

I am in eo es, quod fructus quos indefessa industria, qua in no-
stra academia litteris operam nauasti, merita est, colliges lae-
tissimos. Incubuisti iurium scientiae insolita quadam et præclari
solertia quae TIBI omnium laudem contraxit et admirationem,
et eam TIBI comparasti doctrinam quam non nisi insigni praemio
exornare licet. Testem me eius, quem mox publice acquisitus
es honoris, esse voluisti et opponentis munus mihi demanda-
sti benignissime. Obtempero iussui tvo. Habetis me
quidem dissentientem sed ita ut in partum ex TVA erudi-
tione

E



tione proficere, partim qui ATTB patebit, honoris ipse testis esse queam. Sed quanta iam laetitia afficiar, quum TE ab omnibus admiratum considerem, tanta percellor tristitia perpendens breuissimum esse Tempus per quod TE TVAM que doctrinam suspicere nobis licebit Vale igitur, quum diutius TECUM viuere non possumus Seruit TE Deus et familiae TVAE splendidissimae et litteris et patriae sospitem et incolumien. Faxit supremum numen, ut quae de republica et litteris in posterum suscipias omnia succedant feliciter. Vale. Dabam Ienae d. xxi. Octobr. c. 15 Io cc LXIIII,

Monsieur

La marque de bien veillance, que vous me donnez en m' inu-
tant poliment a vous opposer est d'autant plus signalée,
qu'elle ne vient pas d'une amitié déjà établie, mais qu'elle en est
le fondement même. Voilà ce qui m'y rend plus sensible, que je
ne serrois peutêtre, s'il falloit m'en rapporter à une ancienne liai-
son. Ce n'est pas qu'il n'y ait beaucoup de charmes à voir con-
firmer vne amitié déjà liée par une preuve marquée. Mais il faut
pourtant avouer qu'on sent plus à gagner les bonnes grâces d'un
homme de mérite qu'à les voir conservées, parcequ'on n'a rien
a craindre de sa constance. Jusqu'à présent je n'ai pu faire qu'admit-
tre en moi-même vos talents et votre application, sans qu'une con-
noissance entière m'eût donné le droit de vous déclarer les sen-
timens de considération, que mon coeur éroit obligé de ca-
cher. Mais à présent vous voila sur les bânes, allant meri-
ter le bonnet Doctoral, m' invitant à y prendre part par mon
opposition, quelle digne naissance de notre amitié ! Quel hon-
neur pour moi ! Le seul devoir pour vous y répondre c'est de
m'en féliciter et de m'en rendre digne. Comptez Monsieur,
que je ne manquerai jamais à vous témoigner l'estime, que
vous

vous méritez tant du coté de la naissance que de celui des lumières, et que je vous convaincrai par vne de ference a vos volontés que j'ambitionne l'honneur d'etre.

VOTRE

Serviteur.

a Tene
ce 17. d^e Octobre 1764.

G. C. G. VOELCKER de Iene
Et. en Droits.

VIRO GENEROSISSIMO
DOCTISSIMO DOMINO DOCTORANDO

s. p. d.

GEORG. FRIDER. KLOSE *Baada Durlacensis L. L. C.*

Cum perquam benigne placuerit Opponentis prouinciam mihi deferre non possum non TIBI VIR GENEROSISSIME, pro hoc eximio amicitiae TVAE testimonio grates nunc publice persoluere decentissimas. Gratulor TIBI de doctissima dissertatio ne eruditio*nis TVAE* praestantissimae specimine: Gratulor de summa in iure dignitate, quae tanquam laborum corona in te confereretur. Gratulor GENEROSISSIMAE TVAE FAMILIAE, gratulor patriae TVAE clarissimae. Summum Clementissimum Numen semper te conseruet saluum atque incolumen. Semper sis Generosissima Familiae, patriae, amicis, ac vniuersae reipublicae litterariae jucundissimum ornamentum. Vale igitur VIR GENEROSISSIME et quaecunque incepferis semper succedunt prosperrime. Viuas Vigeas Floreas Valeasque, ut vero fauor atque benevolentia TVA in futurum quoque me dignum habeas etiam atque etiam abs te peto Dabam Ienae die XVIII. Octobr.

MDCCLXIV.

Mon-

Monsieur

I me saisis de toute occasion possible, pour Vous renouveler l'assurance de mes respects et de mes services; et quelle occasion me seroit plus favorable que celle, que voila. C'est demain, que Vous allez remporter les palmes de Vôtre diligence et l'applaudissement universel, que Vos amis donneront à la These qui sera soutenue de Vous. C'est demain, que Vous êtes sur le point de donner des preuves de Votre solide erudition, que Vous Vous êtes acquise avec bien de la peine. Je suis incapable de trouver des termes assez forts pour Vous exprimer distinctement la joie, que je ressens de Votre glorieux établissement. La patrie ne peut que reconnoître Vos vertus et Vos merites, et elle se felicitera de voir en Vous ses espérances bien surpassées. Je me rejois seulement de regarder en Votre personne un si cher ami, heureux si Vous aurez la bonté de me conserver Votre amitié si précieuse. Vous m'en obligerez finement, et Vous pourrez être persuadé, que celle, que j'ai pour Vous, ne se finira qu'avec moi. J'ai l'honneur d'être avec une estimé des plus parfaites jusqu'à la fin de ma vie.

VOTRE très humble et très obéissant serviteur

JEROME PIERRE SCHOENHARD
Etudiant en Théologie.



Jena, Drss., 1764-65

VD18

ULB Halle
005.360 706

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



SSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE
**EFICIO COMPETENTIAE
PROPRIO AEQVE AC TERTII
IVRE**

1764,3
QVAM
ANNVENTE DIVINA GRATIA
RETO ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE

PRAE S I D E
IRO ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO

AVGVSTO HELLFELD, D.

ICTO AC PROFESSORE PVBL. ORDIN.
DV CIS SAXO GOTHANI A CONSILIIS AVLICIS CVRIA
VINCIALIS ASSESSORE, SCABIN. COLLEGII SENIORE
ET FACVLTATIS IVRIDICAE H. T. DECANO
PRAECEPTORE PIE COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

OBTINENDO

BLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

AD DIEM XXVII. OCTOBR. CCCCCLXIV.

**DITORIO IVRE CONSULTORVM
SVBMITIT**

A V C T O R

S HENRIC. FRANC DE LICHTENSTEIN

MOENO - FRANCOF.

ENAE LITTERIS SCHILLIANIS.